

Capuam in Tifatis, sed, ut diserte ait Strabo l. c., familia erat Veneria et si qui praeterea ob officia commodaque cum aede coniuncta ibi consistebant, populum ibi non magis efficiebant quam incolae illi Tifatini. Nam quod inter stipendiarios quos dicit Plinius 3, 8, 91 Erycinis locum dedit, exiguum fidem habet (p. 743), nec tituli in Eryco inventi ullum rei publicae indicium dederunt. E contrario non leve pondus habet, quod liberta illa Veneris Agonis Lilybitina dicitur, non Erycina; item quod ut apud Thucydidem 6, 46 Egestaei Atheniensibus sacrarii Erycini thesaurum exhibent, ita secundum Tacitum (ann. 4, 43) a. p. C. 25 *Segestani aedem Veneris montem apud Erycum vetustate dilapsam restaurari postulavere . . . suscepit* (Tiberius) *curam libens ut consanguineus*. Labente aetate fani mentio amplius non fit eiusque splendorem sub imperatoribus decrevisse et Strabo ait (l. c.: *νοὐὲ δὲ ὡςπερ αὐτῆ ἡ κατοικία λειπανδρεῖ τὸ ἱερὸν καὶ τῶν ἱερῶν σωμάτων ἐκλέλοιπε τὸ πλῆθος*; cf. Suetonius Claud. 25: *templum in Sicilia Veneris Erycinae vetustate collapsum ut ex aerario p. R. reficeretur, auctor fuit*) et tituli quoque aliquatenus confirmant pertinentes ad extrema fere tempora rei publicae liberae principiave imperii.

Quaestorem Romanum eum qui praerat Siciliae occidentali Lilybaei sedem habuisse scribit adnotator Verrinarum ad l. 2, 8, 22 p. 208 Orell., sed eiusmodi auctoris testimonium vere nullum est. Immo quod ibi dicitur ab ipso Cicerone *quaestor is qui Erycum montem obtinebat* quamquam significare potest montem sub quaestore fuisse, proprie ad ipsum domicilium refertur, nec probabile est praesidium, quod solum perpetuum in Sicilia Romani habebant, non fuisse sub magistratu Romano. Id ipsum efficitur ex titulo Latino n. 7258, si quidem vere eum posuerunt [*quaestor*] *pro praetore militesque in monte Eruco*, similiterque quem ad eum attulimus Graecus Ercinus et ipse a tribuno dedicatus est qui sub quaestore militavit, quamquam verum est tam hunc quam n. 7258 per se satis explicari inde, quod quaestor in sua provinciae parte aliquatenus eponymi iure usus videtur esse (cf. n. 7192). Rem confirmat, quod praetores Siciliae Veneria illa familia tamquam sua usos esse Verrinae orationes passim declarant; nam ubi quaestores duo sedes habebant, ibi praetorem quoque potissimum moratum esse consentaneum est.

Drepanum sive Drepana, hodie Trapani, non constat Romana aetate

suam rem publicam habuisse. Quod locum obtinet apud Ptolemaeum 3, 4, 4 et in itinerariis Antoniniano p. 91. 98 et Peutingerano, inde hoc tantum sequitur portum (τὸ Ἐρυκίνων ἐμπόριον Diodor. 24, 11 p. 509 Wess.) et vicum ibi fuisse. Nec Drepanitanis Plinii 3, 8, 91 vel adeo Drepano *civitati* Servii (ad Aen. 3, 707) tutius insistemus quam illius Erycinis. Magis movet, quod Drepanitanorum Cicero Verr. 2, 57, 140. 4, 17, 37 meminit; sed potest hoc quoque ferri in portu re publica destituto, sed celebri. Contra si fuisset res publica Drepanitana, quae cum aede Erycina coniuncta sunt cur referantur non ad ipsos, sed aut ad Lilybitanos aut ad Segestanos non perspicitur, desuntque adhuc Drepanitanorum tam nummi quam publici argumenti tituli.

Ad auctores quod attinet Caroli VENTIMIGLIAE esse videntur quae reperia in monte Eryce refert Tardia in libro supra p. 742 citato ex codice quodam collegii Iesuitarum Panormitani. — Antonii CORDICI Erycini (1586—1666) commentariorum historiae patriae (*la istoria della Citta di Monte Erice oggi detta Monte di S. Giuliano*) exemplaria duo habui autographum utrumque, alterum (f. 55 auctor ait haec se scribere 7 Nov. a. 1648) servatum Montesanguliani apud sacerdotem Iosephum Coppola, alterum postea conscriptum servatum Panormi in bibliotheca publica Qq D 48. Eiusdem Cordicii epistulae scriptae ad Vincentium Auriam d. 22 Febr. 1664 Tardia (l. c.) meminit. Vir probus et diligens neque indoctus, cuius cum Gualtero commercii enarrationem supra p. 715 rettuli, quaedam servavit cognitu digna. — Parum profuit CALVINII (1644—1701) similis liber *Erice antica e moderna*, quem scriptum versavi Trapani in bibliotheca publica. — Quae apud Tardiam una cum supra citatis schedis reperiuntur *iscrizioni trasmesse dal Monte di S. Giuliano nel mese di Aprile 1767 da S. D. Giacomo Pollena conservate con altre molte dal S. D. Francesco HERNANDEZ Ericino*, in iis Latinae non insunt. Sed museum quod Franciscus Hernandez instituit laudabili studio posteris eius servarunt et auxerunt, tenetque in eo qui hodie id possidet Trapani degens comes Franciscus Hernandez de Carrera Latina monumenta ut pauca, ita nobilia. Etiam in ipso oppido Montis S. Iuliani nuper aliqua monumentorum litteratorum collectio institui coepta est, et fervet crescitque in hac parte insulae studium antiquarum reliquiarum colligendarum et conservandarum.

7253 in monte Eryce aetate mea rep. lapis marmoreus FAZELLVS. In aede Carmelitarum CAIET.

In Monte S. Iuliani in monachio D. Mariae de Monte Carmelo paullo infra tectum loco altissimo GVALT. *Nelle ruine del tempio vi è trovata una pietra rotta che oggi si conserva nel Carmine* CORDICI.

VENEREI · ERVCINA

Fazellus (1558) dec. 4 l. 7 p. 155 (inde Reines. 4, 91); Oct. Caietanus († 1620) isagoge cod. bibl. Pan. p. 97, ed. p. 110, qui vidit 'X ante annos montem Erycem intuitus'; Gualterus (quem ad Erycem rediisse propter dubium, utrum VENEREI esset in lapide an VENERI, supra p. 715 rettulimus narrare Cordicum) n. 256=155 legit scalis admotis (inde Torremuzza Sic. I, 49=20; C. I. L. I n. 1475); Cordici cod. Copp. f. 47', cod. Panorm. f. 47'.

VENEREI · ERVCINAE Cord., VENEREI (sic ms., VENERI ed.) ERYCINAE Caiet., DEAE · VENERI · ERYCINAE · DICATVM Faz., memoriter magis hunc titulum citans quam afferens diversum.

7254 litteris vetustis scr. in columna parva rep. in monte Eryce, est Trapani apud comitem Hernandez.

ueneri
ERVCINAI
DONO
DEDET

Descripsi a. 1878.

7255 in Eryce rep. est Montesanguliani in bibliotheca publica.

ueneri
EREI · ERVCIN
SACROM
TINIUS · P · F

Descripsi a. 1878.

7256 Trapani in museo Hernandez.

GNAI
ANA · L · F

Descripsi.